

nis ἀλληγορίους, & verum Scripturę sensum per-
uertunt. Papistę addiderunt eos iam contendisse Vnctionem extremam non esse sacramentum à
Deo institutum, in quo recte senserunt, etsi à Pa-
pistis damnantur, sed perperam & insulté. Hie-
rachitas istos Manicheis attribuit alicubi Augusti-
nus, non autem, vt quidam faciunt, Origenistis.
Alius etiam fuit Hieracha qui post Nicenum con-
ciliū primum vixit, qui dixit personas in Trinita-
te esse ut divisionem luminis in plures lucernas, &
ita separat hypostases. Contra quem Hilarius lib.
6. operis de Trinitate agit. Mouebatur autem pro-
pter dictum patrum in Niceno concilio, lumen de
lumine. Sed quam vim ea comparatio habeat do-
cet Hilarius. Non enim posita est similitudo in di-
visione: sed in eo quod Filius est de Patre sine di-
minutione & detrimento ipsius substantiæ Patris,
ut lumen de lumine procedit. Theodoret. ita ex-
plicat quoque libro de Diuin. dogmat.

3 Superentur.) In vulgatis codicibus Separan-
tur. Nihil hoc loco ab Isidoro Augustini abbre-
uiatore iuuamur. Ex coniectura tamen restituimus, Superentur.

CAP. XLVIII.

Melitianī cur sic appellati. Erroris autem eorum
caput vnum hīc explicatur.

Melitianī à Melitio nuncupati, nolentes
orare cum conuersis, id est, eis qui in per-
sequitione ceciderunt, vel schisma fece-
runt. Nunc autem dicuntur Arianis
esse coniuncti.

I Melis-